

Heinrich Schuckmann

**Programma Quo Gratiam Spiritus Sancti Omnibus Academiae Civibus serio  
commendat Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Schuckman Iuris  
Doctor, Codicis Professor & Ducalis Consistorii Assessor. P.P. Rostochii, in  
Festo Pentecostes Die 14. Maii Anno 1654. Sub Sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839456>

Druck    Freier  Zugang



R U Progr 1654

- 1) Quistorp, Dok.
- 2) " "
- 3) Schäckmann, Diarr
- 4) " "
- 5) Lenoble, Norm.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734839456/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839456/phys_0002)

**DFG**

38.  
2  
3

PROGRAMMA  
Quo  
**GRATIAM**  
**SPIRITUS**  
**SANCTI**  
Omnibus Academiz Civibus  
serio commendat  
**RECTOR**  
Universitatis Rostochiensis

**HEINRICUS SCHUCKMAN**

Juris Doctor, Codicis Professor  
& Ducalis Consistorii Assessor.

*P. P. Rostochii, in Festo PENTECOSTES*  
*Die 14. May Anno 1654.*  
Sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno 1654.



Ratia SPIRITUS SANCTI est perfectio omnium operum ac beneficiorum DEI. Creavit DEUS in principio Materiam, ex qua Cœlum, terram, & omnia, quæ cœlo terrâq; continentur, produxit & efformavit. Hæc verò cum esset informis, vasta, tenebrisq; involuta, ex intentione Creatoris perficienda porrò erat. Perfecit eandem *Spiritus DEI*, incubando massæ rudi primitivæ. DEI beneficium est, & ingens sanè beneficium, quod à lapsu generis humani voluntatem ipse suam certo verbo patefecit, eoq; sibi Ecclesiam in mundo collegit. Istud verbum elocuti sunt Sancti DEI Viri, acti à *Spiritu Sancto*. Opus admirandæ potentia dñvinæ est, conceptum fuisse & natum ex Virgine Salvatorem mundi. Atqui illud ipsum, superveniens in Mariam *Spiritus Sanctus* effecit. Missus fuit Messias, quod ipse testatur, à Domino, ad Evangelizandum pauperibus, sanandum contritos corde, intimandum captivis dimissionem, cœcis viuis recuperationem, emittendum confractos in libertatem, prædicandum annum Domini acceptum. Præstítit autem hæc omnia, sicut præstare debuit, officioq; suo satisfecit Messias, non nisi per *Spiritum Domini*: *Spiritus Domini Dominus*, inquit ipse, super me est. Constitutus futuorum bonorum Pontifex, aeternam acqui-

acquisivit redemtionem, ex quo per *Spiritum aeternum*  
seipsum obtulit inculpatum DEO, emundaturus san-  
guine suo conscientias nostras a mortuis operibus, ad  
serviendum DEO vivo. Ex mortuis resurgens decla-  
ratus est Filius DEI in virtute secundum *Spiritum san-  
ctificationis*. Sic consummato per Christum opere re-  
demptionis, & salute hominibus parta; applicatione  
eiusdem opus jam erat quam maximè. Annuncian-  
dum ergo Evangelium peccatoribus miseris, iisq;  
redemptis a CHRISTO omnibus ac singulis, adeoq;  
disseminandum illud fuit per orbem universum. De-  
stinati fuerunt ad munus hoc Apostoli, homines im-  
periti, qui cum impares essent ex semetipsis mitiusq;  
idonei expediundo tam arduo negotio, instruendi  
erant virtute humanis viribus superiori. Et eccè in-  
structi sunt a *Spiritu Sancto*. HIC Apostolorum voce,  
mundum arguendo & glorificando CHRISTUM  
Salvatorem, mirificè ad omnes, quæ sub Sole sunt  
nationes, regnum DEI propagavit. In eo præterea  
quicquid perfectionis est, & quicquiderit ad consum-  
mationem usq; seculi, totum illud, quantumcunq;  
sit, quod maximum certè est, non nisi *Spiriti Sancto*  
debetur. O! quantum est charitatis divinæ donum,  
teste Johanne, quod filii DEI vacamur. Potestatem  
ad hoc dedit unigenitus DEI filius omnibus in no-  
men ejus credentibus, eisq; non ex voluntate carnis,  
sed ex DEO genitis, adeoq; regeneratis ex aquâ &  
*Spiritu*; Atq; hic ipse Regenerationis pariter a crenova-

A 2      tionis

tionis principium est. Retrahi hominem à peccato  
mente jam concepto, & ne tale quid in actum quo-  
quo modo ducatur, mature arceri, indebitæ benefi-  
centiæ divinæ effectus est; nec minus propterea glo-  
rificandus est DEUS noster, quām si cumulum cœte-  
rorum beneficiorum in nos contulerit. Exemplum  
præbet S. David: *Benedictus*, inquit ille, *sit Jehovah*  
*DEUS Israelis, qui cohibuit me, ne iniarem cedes,* *O* vin-  
dicaret me manus mea: quod jam jam patrandum me-  
ditabatur. Ecquis verò à peccatis homines abstrahit,  
nisi *Spiritus DEI*? qui inje~~ctis~~ proposito malo exte-  
rioribus obstaculis & impedimentis, ipse intus cor  
ipsum, ut DEI non carnis voluntati obsequatur, com-  
pungit. Ità nimis mortificant *Spiritu* actiones cor-  
poris, carnemq; crucifigunt cum affectibus & concu-  
piscientiis, quotquot CHRISTI sunt; CHRISTI autem  
sunt, qui Spiritum ejus habent. Lapsos resurgere per  
pœnitentiam, aversosq; à DEO, ad DEUM redire,  
imperitum misericordis DEI beneficium est, idq;  
tribuendum similiter gratio~~e~~ virtuti *Spiritus Sancti*,  
qui ut ut excusus ab homine peccatis gravioribus,  
nihil tamen intermittit eorum, quæ facere queunt ad  
conversionem & salutem peccatoris, quantis per de-  
emendatione spes est. Labi ex se quisquis mortalium  
potest, potest & perire ex se. At resurgere à lapsu &  
vivere vicissim vitâ spirituali, eis demum obtinet,  
quos erigit *Spiritus Sancti gratia*. Quod sunt adhuc  
in medio generationis pravæ ac perversæ, qui splen-  
dent

dent ut faces in mundo, progredientes cum gaudio  
in viâ madatorum DEI, nec ab eâ revocari se ad de-  
via, seu cupiditate allectos in rebus secundis, seu in  
adversis formidine territos, (quarum utriq; servilis  
inest conditio) permittunt, nemo utiq; nisi bonus il-  
le & liberalis *Spiritus DEI* facit. Docent id preces Da-  
vidis: *Redde mihi*, orabat ille, *gaudium salutis tuae*, &  
*Spiritus liberalis* (seu quod re idem, *Spiritus adoptionis*,  
non servitutis) sustentet me. Item. *Doce me facere pla-*  
*citum tuum, quia tu DEUS mens es, Spiritus tuus bonus*  
*deducat me in terra rectissimâ* Quo ipso monemur,  
cum demum & tamdiu nos agere, quod DEO placeat,  
cum & ducimur Spiritu DEI bono, & quamdiu eo-  
dem ducimur. Abs hoc si fuerit, non oratio  
ulla, quam DEUS exaudiat, non lucta adver-  
sus carnem & sanguinem, quæ victoriâ divinâ  
coronetur, non ullum fidei exercitium, quod Deo  
probetur, sperari alieubi vel expectari poterit. Beati  
pauperes Spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlo-  
rum. At quis Spiritu pauper est, nisi ille, cui perswasum  
fecerit *Spiritus Sanctus*, ita habenda sibi, quæcunq; ha-  
buerit, temporaria omnia, ac si eorum nihil prouersus ha-  
beret. Beati, qui persecutionem patiuntur justitiae cau-  
sâ; quandoquidem merces ipsorum copiosa erit in  
cœlis. Quotusquisq; verò non ab orbitâ justitiae metu  
odiorū, convictorū, vel animo persecutionum impa-  
cienti facilimè dimoveretur, nisi sustentetur *Spiritu*  
*Paracletō*. Beati, qui puro corde sunt: siquidem ipsi

Deum videbunt. Veruntamen quis vel uni, ne dicam,  
pluribus enatarum in corde cogitationum spurcarum  
fræna injiciet, nisi sanctificatus subinde *Spiritu Sancti-  
ficationis?* Beati misericordes; quoniam ipsis tribue-  
tur misericordia. Sed & nusquam misericordiae Chri-  
stianæ locus erit, nisi in iis, quorum mentibus exem-  
plum misericordiae divinæ paternæ *Spiritus Patris cœ-  
lestis impresserit.* Beati mites seu mansueti; quia ipsi  
terram jure hereditario possidebunt. Atqui à Chri-  
sto, qui mitis est & humilis corde, omnis mansuetudo  
discenda est, nec discet quis eam, nisi informatus per *Spি-  
ritum Christi.* Beati sunt pacifici; quandoquidem fi-  
lii Dei vocabuntur. Nemo verò pacem Christianam  
vel ipse colet, vel ad colendum alios impellet, nisi  
motus ab eo, qui per diversitatem linguarum gentes  
in unitatem fidei congregavit. De cœteris idem judi-  
cium est. Neq; enim ullum opus iustitiae à nobis re-  
quirit Salvator, quod profectum non sit ex fide, & qui  
fidem perficit, *Spiritu Sancto.* Hujus dictum ut nun-  
quam non sequamur, toties monet Scriptura S. quo-  
ties benè nos operari pièq; pati jubet. In Domino ob-  
dormire, & tandem ultimo die decretorio ad vitam æ-  
ternam resurgere, summi ad beatitudinem gradus  
sunt. Illud verò efficacissimæ consolationi *Spiritus Sancti*, ut Paracleti; Hoc potentia Dei vivificantis  
mortalia corpora nostra per *Spiritum suum* habitan-  
tent in nobis, qui ejusdem ipsius *Spiritus* est, qui Iesum  
luscitavit ex mortuis, accepitum ferendum. Cœterum  
quod

quod in orbe Christiano bonus aliquis, & qui ordina-  
tione divinæ respondeat, vel mediocri saltim, inter tot  
Satanæ mundiq; furiæ, status supersit, & id quoq; dan-  
dum omnino spiritus Sancti gloriæ. Ab illo solo im-  
perantium justitia, cum obsequio subjectorum; ab illo  
prudentia docentium, cum discentium docilitate;  
ab illo omnium inter se, quos commune fraternitatis  
Christianæ vinculum connectit, pax & concordia pen-  
det. Sapientiam multi jactant, sed inanem, & quæ in  
merâ definit stultitiam, quia susq; deq; habent *Spiritum*  
*Sapientia*. Goriantur de intelligentia multi, discernen-  
te à bono malum, à tenebris lucem, à fuco candorem,  
qui tamen, quod confundant hæc omnia, ipso opere  
probant, siquidem à *Spiritu intelligentie* illuminati non  
sunt. Consilia sæpen numero in rebus dubiis causisq;  
sauciatis anxie passim conquerimus, sed nullum quod  
è re sit boni publici, & communibus vulneribus salu-  
tariter mederi possit, reperimus, neglecto nimis  
*Spiritu consilii*. Fortitudinem nobis & vires deesse con-  
querimus, quibus expediri debet, si quid consilii for-  
tè occurrit; nec immerito de hoc conquerimur, quia  
*Spiritus fortitudinis* plæriq; despiciunt. In pejus ruere  
omnia, quotidiè cheu! experimur; neq; tamen, quod  
caput rei est, Dominum reveremur, nec in *Spiritu tim-*  
*oris Domini*, cogitata, dicta factaq; nostra componi-  
mus. Agite ergo, *Cives Academiae*, antè omnia, ut  
participes sitis spiritus Sancti, sine quo vana sunt, quæ-  
cunq; molimini, Deum in nomine Christi orate. Facti  
verò

verò tanti tamq; inæstimabilis Boni compotes, ne im-  
perium illius malis operibus, quæ qualia sint novistis,  
temerè vicissim excutiatis, cavete; scientes, majorem  
non posse miseriam excogitari, quam illorum est, à  
quibus vindex scelerum D E U S Spiritum suum san-  
ctum auferre compellitur. Hoc sublato abjectus est à  
facie divinà homo miser (quæ duo arctissimè conjun-  
git Propheta) & sic ab omni benedictione omniq; bea-  
titudine penitùs exclusus. Media verò, quibus nos &  
consequi gratiam Spiritus Sancti, & retinere eandem  
oportet, sacris monstrata literis, sunt Preces, Verbi di-  
vini meditatio, recumbens in promissionibus Evange-  
licis Fides, unà cum studio Christianæ Concordiæ. Effu-  
sum nempè Spiritum Sanctum, orantibus Petro & Jo-  
hanne, in Samaritanos; effusum in attendentes Evan-  
gelio Cornelium ejusq; domesticos; effusum in adhæ-  
rentes promissioni divinæ & concorditer cohabitan-  
tes Apostolos, ipsa Acta docent. Faxit Deus, ut & in-  
ter nos invicem, Docentes pariter ac Discentes, Ma-  
gistratum & Cives, omnesq; in Christum credentes u-  
num cor sit & anima una (qualis fuit inter primitivos  
Christi discipulos) in uno omnium Spiritu, qui à Pa-  
tre & Filio procedens, ejusdem cum utroq;  
essentiæ est, benedictus suprà  
omnia D E U S!

as(O)s



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734839456/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839456/phys_0011)

**DFG**




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734839456/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839456/phys_0012)



generationis nostræ. In quô , qui  
ligioso gaudio , à pio jubilo te  
Quare, O Cives ACADEMIÆ  
lis honoratissimi ; (ut vos cum  
quar ) gaudcamus , lætemur &  
quippe Salvator noster natus est.  
locum esse tristitia , ubi natalis est v  
in Domino dilectissimi , & Spiritu  
lætemur ; quia illuxit dies reden  
reparationis antiquæ , felicitatis .  
te & Vos Adolescentes florentis  
in Domino D E O , sed non in D  
in tantâ solennitate , perversam ,  
miscere hilaritatem ; Sacris in pr  
nibus vacate ; Templa & Concio  
nas & tabernas , impiissimorum  
bula visitare ; VER B O D E I , ne  
sed & animum præbete ; Cavete  
jus festi quietem , petulantissimis  
scurilibus discursionibus , bel  
bus turbetis . Abstinete , mone  
ter , ab omnibus illis actionibus ,  
dinem hunc honestissimum liti  
maculare , D E O q ; & hominibus  
re possunt . Potius , sobriâ & de  
tis ac compositis , ad præscriptum  
ribus , fideiq ; cultu , D E I favore



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.